MORUM DOCTRINAE

APUD HESIODUM INITIA.

DISSERTATIO,

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO ORDINE PHILOSOPHORUM

IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

LEGITIME IMPETRANDOS

SCRIPSIT

IOSEPHUS BENDER,

GUESTPHALUS,


SEMINARII REGII PHILOLOGICI IN EADEM UNIVERSITATE

NUPER SODALIS ORDINARIUS.

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGII.

MDCCCXL.


BIBLIOTHECA
Bayerische
Staatsbibliothek
München

VIRIS ILLUSTRISSIMIS

FR. THEOPH. WELCKERO

ET

FRIDER. RITSCHELIO

DIRECTORIBUS SEMINARII REGII PHILOLOGICI

PRAECEPTORIBUS DE SE MERITISSIMIS

HASCE STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS SACRAS

ESSE VOLUIT

SCRIPTOR.

Particula prior.

I. Quid ad morum doctrinam excolendam poetae in universum valuerint. Quae inter illud genus et Hesiodum ratio intercedat.

Quum neminem, qui in artium litterarumque historia perscrutanda usque ad primordia penetrare studuerit, fugere possit, omnium fere initia a poëtis esse repetenda, tum planissime hoc in eo genere intelligitur, quod continetur morum doctrina. Quae etsi tam lentos progressus fecit, ut multo demum post, quam ceterae litterae et doctrinae pleraeque ad aliquem perfectionis gradum pervenissent, certum quoddam fundamentum nancisceretur et ad artis formam eveheretur, eius tamen initia non sunt alia, nisi quae a vetustissimis poetis reperimus sapienter dicta et salubriter praecepta: qualia tum ex publicae privataeque commoditatis quotidianaeque necessitatis observatione, tum ex ingenito humano generi veri rectique sensu profecta non potuerunt non multifariam per ipsa antiquissima poësis monumenta spargi. Itaque princeps extitit morum praeceptor Homerus. Exceperunt eum in hoc quidem genere lyrici, hos non ita multo post tragici poëtae: quorum illi a philosophicis seculi studiis, hi a suae artis natura haud paullum profecerunt. Unde factum est, ut eius doctrinae, quae est de utraque hominis vita, coniunctarumque cum illa sententiarum non pauca vestigia in morum praeceptis Pindaricis exstent: ac propemodum uberior etiam fons omnis doctrinae moralis

1

habendi sint tragici, ut quibus homines, quales deberent esse, describendi essent. Sed ut mittamus, qui poëtae tantum fuerunt, nec nisi casu et promiscue, sicubi res ipsa ferret, morum praecepta tetigerunt: sequuti sunt, et proximo quidem intervallo antiquissimos illos sequuti sunt ii, qui dedita opera humanam sapientiam ad mores spectantem comprehendere sive versuum vinculis sive concinne et graviter dictis studuerunt. Apparet de gnomicis poëtis nos cogitare deque illis viris, qui honorifico aequalium testimonio sapientes vocitati sunt. A quibus omnibus quaecunque in medium allata sunt bonae frugis plena, iis deinceps ita usi sunt philosophi, ut ab his demum singula quaeque, feliciter antea reperta, colligerentur, augerentur, disponerentur, iudicarentur, via ac ratione consociarentur atque in disciplinae formam quandam redigerentur. Atque hoc ita esse, perspici ex eo potest, quod saepissime hi ipsi philosophi ad principes fontes redierunt poëtarumque illorum de moribus probabiliter dicta cum laude commemorarunt suisque placitis vel illustrandis vel confirmandis adhibuerunt. Gnomico autem generi quantus praeter cetera honor inter Graecos habitus sit, luculentissime etiam posteriorum seculorum vox testatur. Nec miri quidquam vel novi narrare videbimur, quum ab gnomica sapientia illa omnium propemodum gentium cultiorem vitam exorsam dixerimus. —

Inter poëtas autem Hesiodus *), quem delegi, ut quae apud eum sunt disciplinae moralis initia investigarem, de antiquissimis morum rationibus gravior ipso Homero est testis praedicandus. Homerus enim, apud quem tum propter aetatis rationem, tum magis etiam propter ipsum carminum consilium, quod in describendis heroum praeclaris gestis versa-

*) Significavi hac scriptione Hesiodi Opera et Dies nota *Ἐ*, Theogoniam Θ., Scutum Herculis *Ἀ*. Locos Operum laudavi ex editione Spohnii. Magnum fructum cepi e Rankii Comment. De Hes. Opp. Gott. 1838, et e Platneri Notionibus Iuris et Iustitiae etc. Marb. 1819.

batur, vix tenuia initia quaedam morum disciplinae inveniuntur, Achaeorum felicissimo laudatissimoque aevo, cuius imaginem ipse exprimit, adnumerandus est, quanquam in ipso illorum temporum decursu et fine ponendus. Statim autem post ipsum maxima rerum civilium, religionum, studiorum, voluntatum conversio consequuta et universa Graecia omnino mutata est. Cui novae rerum conditioni quale novum poësis genus responderit, perspicitur ex Hesiodeis carminibus, maximeque ex eo, quod inscribitur Opera et Dies, quod solum ipsius Hesiodi revera esse videtur. Nam quum homines prioris aevi, quod Hesiodus diu praeteritum felicissimumque praedicat, deliciis tantum gavisi essent vitae, quae tota fere expleretur heroum praeliis, atque festorum solemnibus sacrisque Musarum donis ornaretur, iamiam tristis mentes occupavit persuasio magnae rationum humanarum discordiae morbique quasi mortiferi, quo hominum societas laboraret. Imago illa vitae rebus gestis maxime admirabilis, cogitatione sensuque poëtico ficta et pulcherrime depicta, sensim cederet oportebat verae vitae conditioni tristissimae et miserrimae, quam Hesiodus et ipse expertus est et ad verum descripsit. Quo quidem vitae ipsius inter homines orto dissidio, illud quoque magnum discrimen explicatur, quod inter Homeri sententias morales intercedit et Hesiodi de moribus corruptis querelas et ad eos emendandos praecepta. Nam quo magis mores ipsi depravantur, eo magis fere disciplina moralis excolitur. Cuius rei exemplo iam sunt Ilias, Odyssea atque Opera et Dies, hoc ordine posita, quorum poëmatum quodque quo miseriorem temporum conditionem describit, eo perfectioris morum disciplinae indicia prodit. Hanc rationem qualis sit breviter monstrabo. Atque ex Iliade intelligi potest omnium rerum nullam magis esse expetendam quam deorum praepotentium, invidorum et metuendorum favorem, nihil intentiore cura fugiendum, quam illorum offensionem et vindictam. Dii igitur sacrificiis aliisque donis sese flecti et quasi corrumpi patiuntur gratiamque suam gratificantibus rependunt (Il. XXII, 170 sqq IV, 48 sqq. XXIV, 425. IX, 497 sqq.),

ita ut e libero hominis arbitrio nullum facinus prodire videatur, sed omnium caussa et culpa a diis repetatur. V. Jl. XIX, 86 sqq. In Odyssea autem exsurgit quodammodo libertas humana contra libidinosam illam auctoritatem, cui tam diu subiecta tenebatur, et solemniter quasi deorum ipsorum ore proclamatur: Od. I, 32. Nam dii incorrupti mala hominum facinora oderunt, bona autem et iusta facta amant. Od. XIV, 83. Quamquam moralis disciplina per Odysseam non nisi nascens modo apparet, quippe quae omni certo fundamento destituta timidius incedere et interdum a se ipsa desciscere videatur, ita ut melior persuasio pristinis opinionibus superstitiosis nonnunquam cedat *). Sed in Operum et Dierum carmine certior quaedam ratio et definitior constituitur, ut licet interdum principia unde bonorum morum caussae repetuntur multum absint a perfectione, tamen quae inde prodeunt ad vitam ipsam spectantia nunquam non sint bona et salutaria. Quam rem luculentissime testantur hi potissimum loci: Ἔ. 250 sqq. 215 sqq. 265 sqq. 284 sqq. 240 sqq. al. Maxime igitur illius aetatis, in qua Hesiodi poësis versatur, indoles et ingenium designatur et dignoscitur eo transitu, qui fit inter homines a violentia ad iniustitiam. Societatis humanae universae rationes, quales illo aevo fuerint, optime ex ea carminis parte perspiciuntur, quae est a v. 344 ad 726. Quod autem Odysseae loco I, 32. de hominum culpa enunciatur, (ut etiam internum magis disciplinae mo-

---

*) Quae omnes res religiosas et philosophicas ad hanc diem comitari solet superstitio, e caussis vulgo non perspectis profecta, liberumque sententiarum et notionum progressum reprimens ac veram intelligentiam obscurans, ea ipsa morum quoque verae doctrinae valde exitiosa est, quippe quae saepe actionum humanarum prava et perniciosa existat caussa. Plena eiusmodi opinionum superstitiosarum Hesiodi etiam aetas est, iisque redundant eius carmina. Maxime in hoc genere memorabilis ea est carminis pars, quae inde a v. 726—766 nil nisi res superstitiosas continet.

ralis incrementum quoddam significem,) id per totum Hesiodi carmen patet: illud quidem, ut potissimae calamitates hominibus nasci dicantur ex cupiditate lucri, quae ubi semel animum hominis occupaverit, omnem deorum metum tolli, iustitiam opprimi, rixas et bella excitari et innumeralia mala oriri. Atque hoc suis oculis viderat suaque vita erat expertus Hesiodus. Illa autem sententia inde ab Homero sensim exculta: (v. Solon. fragm. 9. Schneidew.; Carm. Aur. Pythagor. 54.; Theogn. 308.; Aeschyl. Prom. 1071.; Eurip. cf. Voelcker. Mythol. p. 40.; philosoph. usque ad Plotinum.) magni semper momenti fuit in disciplina morum condenda et tractanda. — Post Hesiodum poëtae hanc doctrinam eo potissimum modo magis excoluerunt, ut ad commendanda praecepta moralia veris purisque caussis argumentisque uti inceperint. Quamquam quaedam quidem praecepta tantopere hominum animis insident et innata sunt, ut a primis disciplinae initiis eadem maneant. Qualia sunt de iustitia, iureiurando, hospitalitate servandis, de placabilitate postquam satisfactum sit non neganda; porro de iis, quibus potissimum ad officia tuenda impellare, quorum unum et gravissimum est metus poenae, ab omniscio omnipotentique Iove immissae Attamen aliis in rebus, si temporum discrimina observamus, postea memorabiles cognoscuntur disciplinae moralis mutationes. Quae quidem Theognidis et Solonis temporibus non amplificata tantum est, sed multis modis excultior evasit. Illius enim gnomas non solum maiorem numerum sententiarum, sed easdem subtiliores magisque edolatas continere: atque ex huius sententiis studium quoddam humanae naturae elucere, neminem facile fugiat. Itaque quae de fide amicitiae docentur, de vera fictave fortuna, de emendando sensim statu hominis, quae de vicissitudinibus rerum monentur et brevitate vitae, de recta divitiarum aestimatione (cf. Herod. I, 32.), haec et similia animi sensa et cogitata, quae subsequentium Hesiodum gnomicorum sunt, luculenter, quantos genus humanum intra illud temporis spatium, quod est inter Hesiodum et Solonem interiectum, progressus fecerit,

testantur et rectam significant rationem, qua locus, quem Hesiodus in universo doctrinae moralis apud Graecos cultu obtineat, definiatur et examinetur. Nam omnia eius praecepta quum temporis quo orta sunt pueritiam quasi et simplicitatem prae se ferre apertum sit, hoc quidem diligenter nobis in instituenda quaestione tenendum erit.

His ita expositis quum iam transire liceat ad summum principium investigandum, e quo morum praecepta Hesiodea omnia manarint et necessario vinculo nexa sint: apparet non altius quoddam fundamentum quaerendum esse, quale meditantis demum et universas rationes mortalium ad certas notiones redigentis mentis studiis struatur: sed illorum caussas praeceptorum ex universa ratione aevi Hesiodei vitaeque tum publicae tum privatae conditionibus esse repetendas. Quas quum ita iam supra significaverimus, ut proxima post Homerum aetate omnium omnino rerum conversionem factam esse diceremus: haec ipsa conversio qualis fuerit, ex ipso carmine Hesiodeo satis cognoscitur. Etenim iustitia et virtute sublata, reges populis male imperasse legimus, cives autem discordes inter se ex vita privata pristinam innocentiam et pudorem sustulisse. Atque hoc tanquam vinculum est, quo, quaecunque de moribus ab Hesiodo praecipiuntur, comprehendantur et copulentur. Ista quidem miserrima aequalium conditio paucis verbis vividissime ob oculos posita est in hac descriptione: „Nunc est ferrea aetas. Nihil est non plenum omnis generis malorum, quibus animus simul cum corpore premitur, ipsa adeo spe meliorem unquam fore rerum humanarum conditionem sublata.“ V. *E.* 178 sqq. 100 sqq. 203. cf. 96 sqq. Huius autem universae depravationis evanescentisque virtutis et iustitiae consideratio eo tristior in Hesiodi animo fuit eoque acerbiores querelas eliciebat, quo immitiora in vita privata a Persa fratre iniustissimisque iudicibus ipse perpessus erat. Quibus rebus Hesiodus intimis quasi pectoris medullis lacessitus et turbatus hoc sibi proposuisse videtur, ut tum iudices tum fratrem graviter moneret et quantum in se esset commoveret, qui ad modestiam, temperan-

tiam, virtutem redirent. Quam ob rem in caussas sibi inquirendum videbat omnium rixarum et litium. Quas quidem sibi persuaserat in prava aemulatione et studio, quo alius alium aut aequare aut superare vellet, positas esse, atque altera ex parte in neglecta magisque indies marcescente hominum industria (Ἔ. 11—52.). Haec enim remanserat unum subsidium, quo humanae vitae status morumque conditio emendaretur, ex quo Iuppiter, a Prometheo atrocissima auso graviter lacessitus, hominibus cum Pandora innumerabilia mala immiserat, omnesque eorum vitae rationes per complures generationum gradus, maxime autem quinto, quod ipsius Hesiodi fuit, aevo infelicissimo, sublatis de terra Pudore et Nemesi in pessimas paullatim verterat (Ἔ, 53—203.). Quae Hesiodus, quum de quinta aetate loquitur tamquam futura, praesagire tantum videtur, re vera ad praesentem statum referri vult *). Nam qui quinti generis hominibus quasi fons fuit actionum omnium, — δίκη ἐν χερσί h. e. ius fortioris — is sequentibus etiam effertur. Fabulam de accipitre et luscinia quisquis hoc loco posuit bene posuit, quia tum ipsa ad iudices dirigitur tum reliquum carmen in δίκῃ tractanda versatur. Illa autem lex, quae dum Hesiodi temporibus iustitia proculcatur (Ἔ. 222.), et iudices numarii largitioni tantum patent, magis indies invaluit, ita denuo exprimitur: ἔχει νύ σε πολλὸν ἀρείων. κ. τ. λ. V. 209 sqq.

In hoc igitur potissimum consilium poëtae positum est, ut sensum iusti iniustique, qui in fratris iudicumque mentibus prorsus interierat, resuscitaret. Qua quidem in caussa ita porro Hesiodus acquiescit et quasi insistit, ut quam detestabilis sit vis ad arbitrium constituta edoceat (Ἔ. 204—214.) et quaecunque aut e servata aut e neglecta iustitia hominibus oriri solent pulcherrime depingat (Ἔ. 215—249.)

Quum autem ad eiusmodi praecepta tuenda poëta sen-

*) Ita hunc locum etiam Ovid. (Met. I, 127 sqq.) accepit . . Μεμίξεται. v. 181. fut. 3. pass. non significat: miscebuntur omnia, sed mixta sunt et erunt.

tiret gravi aliqua adhortatione opus esse, omnem doctrinam suam superstruxit ipsorum voluntate deorum, imprimis Iovis, qui bona facinora fieri iusserit, malorum autem vindictam minatus sit. Humanis in rebus poëta dum versatur, quoniam eae e diis omnes pendent, ita rem instituit, ut a nulla hominum actione deorum potentiam et administrationem separari posse demonstret. Quapropter hoc ipsum Hesiodi consilium fuisse e toto carmine intelligitur, ut homines, quae essent illa ab ipso Iove praescripta, doceret eosque commoveret, ut rerum humanarum recte iusteque gerendarum viam optimam, quam imprimis in industria, assiduitate seduloque labore consistere contendit, a Iove ipso demonstratam ingrederentur.

II. Quae sint disputationis de Hesiodi praeceptis moralibus capita statuenda.

Disputatio quam ad hunc usque locum instituimus vix vereor, ne supervacanea esse videatur, quum duplex ex ea fructus, quo propius et accuratius definiatur consilium meum, percipiatur. Primum enim effectum est, ut, quoniam initia moralis inter Graecos disciplinae apud Hesiodum indagare et illustrare propositum est, Hesiodi praecepta moralia non prorsus separata neque ab universo Graecorum cultu remota esse intelligatur, sed potius transitum significare a primis apud Homerum morum doctrinae vestigiis ad posteriorum temporum magis philosophicam eius demonstrationem. — Quae praeterea maximi momenti res e praemissa disputatione redundavit, ea cernitur in cognita summa caussa, qua universa confirmatio et commendatio sententiarum Hesiodi moralium nititur: ex eademque nobis quoque deinceps singula quaeque, quae huc faciunt, erunt disponenda et describenda. Quaenam igitur disputationis quae iam futura est partes potissimum tractandae sint, facile

perspicitur. Quoniam enim omnia, quae praecipiuntur, ad iustitiae notionem, quae quidem latissime patet, pertinent, in ea ipsa contemplanda summa scriptionis constat. Sed huius rursum omnis commendatio et probatio *posita* est in pia divinae omnium rerum humanarum *administrationis* persuasione et a diis vindictae poenaeque metu; quae doctrina ita per Hesiodi carmen pervulgata saepeque repetita est, ut ei persuasum fuisse videatur, omnis virtutis humanae, imprimis iustitiae fontem, originem et caussam pietatem esse erga deos. De hac igitur primo loco sermo esse debet. Tertium rerum tractandarum genus, quod per carmen nostrum fere amplissimum est commendatissimumque, re vera ad iustitiam redire ex iis quae iam dicta sunt apparet. Est illud de labore in universum singulisque laboribus suscipiendis, quod unum est praesidium, quo quis ab iniuria inferenda retineatur. Hoc quoque tertium, quo praecepta Hesiodi moralia tendunt, genus, non solum ad iustitiam tandem respicit, sed ad pietatem etiam erga deos. Nam qui laborat, imprimis qui agrum colit, sancto negotio et a diis constituto operam navat. Huius rationis, ubicunque de labore sermo est, carmen ipsum testimonio est. Itaque poëta *Ἔ.* 399 sqq. haec pronunciat: *Ἐργάζευ, νήπιε Πέρση, ἔργα, τά τ' ἀνθρώποισι θεοὶ διετεκμήραντο.* Dii enim ipsi instituerunt, ut homo agri colendi negotia suscipiat, quod his quoque locis probatur: *Ἔ.* 311. 301 sqq. 467. cf. 481. Ut omnes labores recto iustoque ordine suscipiantur, annus a Iove ipso in certas partes divisus est. Singulos igitur dies Hesiodus significavit, quibus fas sit negotiis vacare, qui igitur Iovis esse dicuntur *Ἔ.* 767. 771. al. Has rationes qui bene observat pius in deos (*ἀναίτιος ἀθανάτοισι*) praedicatur. *Ἔ.* 829. Omnia igitur opera, quae suscipienda commendantur ab Hesiodo, ad vim caussamque divinam revocari videmus. Ad haec rerum capita omnia Hesiodi de moribus praecepta sumus enarraturi et explicaturi.

III. De divina rerum gubernatione.

Arctissime igitur tota Hesiodi de virtute diligenda et de moribus universa doctrina cohaeret cum omni eius de diis opinione, qua quidem nihil altius insidet poëtae animo, qua nihil intentiore cura amplectitur, defendit ac tuetur. A diis ergo Hesiodus saepissime et bonorum et malorum in rebus caussas repetit:

ἐν τοῖς γὰρ τέλος ἐστὶν ὁμῶς ἀγαθῶν τε κακῶν τε. Ἔ. 671. cf. *Ἔ.* 99 275. Grave est in hac caussa momentum, quod dii in universum appellantur *δωτῆρες ἐάων Θ.* 46. 633. 664. cf. Hom. Odyss. VIII, 325.; qui bonorum auctores, postquam initio suae ipsorum utilitati, muneribus honoribusque dividendis, consuluerunt (*Θ.* 111, 112), hominum quoque curam aut in bonam aut in malam partem habent. Mala omnis generis vel a diis ipsis proficiscuntur vel e voluntate eorum imminent. V. *Ἔ.* 42. 49. 180. Et quae dii impendunt, ea nemo fugit. *Ἔ.* 105. *Θ.* 613. cf. Hom. Odyss. V. 104. Propter Promethei scelus pro bono datum est malum et quidem sub pulchra specie, quo facilius homines perdat *Θ.* 585. *Ἔ.* 56 sqq. 83 sqq. Hac notissima fabula origo cuiusvis in rebus humanis mali a Pandora repetitur, qua apparet mulierem generatim significari. Quin immo tantopere illa opinio, ut maxima hominum poena ipsa esse mulier summumque malum, a quo omnes generis humani miseriae ducantur, credatur, apud Hesiodum praevalet, ut ad gravissimum mulierum odium ipsum impellat. — Universa haec de malo a diis prodeunte opinio continetur Theogoniae loco quo omnia fere mala quae inter homines versantur per progeniem quasi inter se cognata atque e divino fonte profecta enumerantur. *Θ.* 226—232. — Contra nihil non bonum e pii Hesiodi mente deorum beneficio inter homines exstat. Huiusmodi opinio, quae e sensu quodam nativo prodit, perantiqua est et iam Homero usitata. In universum v. Il. IV, 360. XIII, 729. Od. VIII, 107. XIV, 212. XXIII, 12. Quum vita ipsa a diis proficiscatur (*Ἔ.* 110. 130. 160.), Iuppiter

iure praedicatur hominum pater et deorum. *'A.* 103. *Θ.* 47. 542. 643. 838. *"E.* 59. 145. *'A.* 27. al. cf. Hom.

Omnia prorsus corporis et animi dona a diis, praecipue a Iove repetuntur. V. fragm. CLVII. Goettl. *Θ.* 93. cf. Od. VIII, 481. 498. fragm. CXLI; *Θ.* 96. 83. cf. Od. III, 480.; *Θ*, 429 seq. *'A.* 415. *"E.* 616 *Θ.* 941. Agriculturae praecipue omnisque operis rustici bonus eventus, si qui est, repetendus est a diis (*"E.* 467. 476), qui opes divitiasque largiuntur. *"E.* 322. — Deus omnia providens, qui vel ipse cuncta animadvertit (*"E.* 269 seq. cf. Hom. Od. IV, 379. V, 79. al.) vel per ministros suos observari iubet, ne quidquam eum fugiat (*"E.* 126. 256.): non externas tantum res gubernat et administrat, sed id ipsum regit, quod in intimis quasi venis medullisque insidet, tamquam ab ipso in mentem immissum. Ipsa praecepta moralia Hesiodus, quae re vera e cuiusque ratione et mente procedunt, a deo ducit, qui ea iusserit, custodiat, vindicet. Deus enim ipse virtutis et iustitiae amantissimus est, ut bonum ei placeat, odio sit malum. Virtus igitur hominum adiuvatur et sustentatur (*Θ* 417), malum quodque punitur. V. *"E.* 49 180. al. cf. Hom. Od. IX, 277. al. Aesch. Suppl. 732. 753. al. Imprimis iustitiae dii, quae ipsorum primaria est virtus, existunt gravissimi custodes et vindices. Felicissimus igitur et fortunatissimus in hac terra iustorum est status (*"E.* 227—239. cf. 287), contra improborum tristissima conditio (*"E.* 240—249). Quoniam hoc quoque loco poëta respicit sui maxime temporis miserandum sane statum, ad reges adiicit dehortationes, ut a factis iniustis caveant. *"E.* 250 seqq. Graviter imprimis ius ab iudicibus ipsis violatum vindicatur. V. *"E.* 222 seq. 240. cf. Theogn. 731. V. *"E.* 274. cf. Hom. Il. XIII, 631. Aesch. Ag. 1560 seqq. al. Iusti autem omni ratione a deo adiuvantur et custodiuntur. *"E.* 282. Quum quaevis omnino superbia diis valde displiceat (240. 241), maxime illis irasci solent, qui ipsos negligant, contemnant, adversentur. V. *Θ.* 206—210. *"E.* 758. 743. 751. Qui contra innocenti gratoque sensu deos honorat et colit, eum po-

tissimum placabili animo amplectuntur, opibus cumulant honoribus ornant, uniceque amant. V. Ἔ. 338 sqq. Θ. 416 sqq. Ἀ. 476. Praeter iniustitiam et contemptum religionis ea potissimum probrosa et flagitiosa iudicantur quae sanctae familiarum necessitudini et quae huic vicina esse videri solent officiis repugnent, ut impietas erga parentes, supplices et hospites, quae vitia inde a v. 329. ita recensentur (Ἶσον, ὅς. . . . κ. τ. λ.), ut eundem improbitatis gradum significent, quippe quae non minus iustitiae quam pietati erga deos inimica sint. Nam hoc grave dictum Hesiodus addit:

τῷ δ' ἤτοι Ζεὺς αὐτὸς ἀγαίεται, ἐς δὲ τελευτὴν
ἔργων ἀντ' ἀδίκων χαλεπὴν ἐπέθηκεν ἀμοιβήν.

Alia tandem restat ratio, qua arctissime persuasio de deorum potentia et regimine cum universa de moribus doctrina coniungitur. Cernitur ea in iis, quibus dii ad promovendam virtutem humanam ipsam valent. Primum virtutes, quae potissimum in bono viro desiderantur, summo et perfectissimo, qui hominum animo cogitari potest, gradu in diis, praeter ceteros in Iove conspiciuntur, atque ita et ipsae magis sanciuntur et sanctiores reddunt deos. Quid? quod virtutes ipsae tanquam deae describuntur. Nam ut prisci aevi homines, quae in rerum natura evenirent ad deos auctores referebant, ita etiam ea, quae in hominum mentibus acciderent, singularibus e caussis repetebant, quas ipsas cogitationis calore quodam et vigore personarum notione induebant. Qua re metus, contentio, iustitia aliaeque virtutes et vitia in deorum numerum recepere. — Sunt praeterea quaedam numina certis quibusdam virtutibus praecipue praedita, quas observare et custodire soleant. Ἔ. 256. 258. 805. al.

Summa igitur huius disputationis haec est, quod in vita humana omnia fieri consilio et voluntate docemur. Quod Homerus dicit: Διὸς δ'ἐτελείετο βουλή, id ab Hesiodo ita enuntiatur: Διὸς μεγάλου διὰ βουλάς. V. Ἔ 124. 71. Ἀ. 318. Θ. 465. 572. Ἔ. 16. 79. 99. Θ. 960. cf. Ἔ. 105. 275. Θ. 1002. Ei igitur summae voluntati et imperio simulatque

homines sese obnoxios et subiectos sentiunt, in animis eorum et mentibus sponte sua pietas erga deos oriri debet et ubique servari, quam ut fontem possumus nuncupare virtutis, ita ex altera parte virtutum primam praedicare pietatem. Hanc igitur ex Hesiodi sententia infra accuratius explicaturi sumus.

IV. De virtute humana in universum.

Totius disciplinae moralis finem tandem positum esse in approbatione et commendatione virtutis, non est quod hoc loco demonstretur. Omnis autem ratio, quae ad virtutis notionem pertinet, ita quattuor partium nititur aliqua, ut aut in perspicientia veri sollertiaque versetur, aut in hominum societate tuenda tribuendoque suum cuique et rerum contractarum fide, aut in animi excelsi atque invicti magnitudine ac robore; aut in omnium, quae fiunt quaeque dicuntur, ordine et modo, in quo inest modestia et temperantia. Cf. Cic. De Off. I, 5. Quae quattuor ita inter se colligata et implicita sunt, ut totidem unius virtutis genera sint nominanda. Hae sunt posteriorum philosophorum quattuor virtutes primariae, quas plerique esse statuerunt *σοφίαν*, *δικαιοσύνην*, *ἀνδρίαν*, *σωφροσύνην*. Quamquam autem eiusmodi quidem bonarum actionum divisio et tractatio ab Hesiodo debet aliena iudicari, tamen fundamentum earum bene animo perceperat, ita quidem, ut ex unius virtutis notione omnes hominum actiones iudicare et dirigere studeret. Virtutis igitur pugnam et pravitatis, qua sola virtus ipsa spectatur et probatur, Hesiodus iam distincte illustrat, eiusque difficultatem, priusquam victrix evadat, describit. V. *Ἔ.* 289—294 *). Quo ex loco gravissimo etiam

---

*) Haec est vulgatissima inter veteres sententia, fulta maxime

coniunctio doctrinae moralis cum ipsa de diis opinione planissime apparet, quum a diis ipsis, ut pugna tantum aspera homo ad virtutem perveniat, sit institutum. Iam igitur videndum est, quae sit virtutis apud Hesiodum notio. Neminem enim qui eius carmen legerit fugere potest, virtutis nomen non eo sensu accipiendum esse, quo apud Graecos posteriores fieri solitum. Una est, ut iam pronuntiem quod infra magis probabitur, Hesiodi virtus, ad quam reliquae omnes referendae sunt, δίκη, a Iove hominibus solis data, animalibus negata, ut docetur loco valde memorabili: Ἔ. 278 seq. Δίκης autem notio latius mihi patere videtur, quam δικαιοσύνης aut iustitiae, quibus propius unum quattuor illorum generum indicatur, quum δίκη omnes fere virtutis partes contineat de poëtae sententia. Hanc enim virtutem solam ab Hesiodo tractari, reliquarum vero indicia tantummodo apud eum inveniri, nedum nomina occurrere, posteriore disputationis parte demonstrabitur. Quae ratio cum consilio poëtae, quod per totum carmen sequutum eum esse supra probavimus, omnino convenit. Nam quum omnia Hesiodea praecepta ad vitae usum et utilitatem referenda sint itaque comparata, ut rerum humanarum recte gerendarum via optima ex iis intelligatur, virtutis quoque notio ita conciperetur necesse fuit, ut consilium poëtae universum servaretur et sustentaretur. Quem finem quia sola iustitia (δίκη) servata expeti et attingi posse contendimus, hanc virtutem potius bonitatem probitatemque in universum significare statuendum est. Hoc igitur sensu Cic. De Off. I, 7. iustitiam praedicat: in qua virtutis splendor est maximus, ex qua boni viri nominantur. Apertissime autem latior haec et antiquior sententia, e qua iustitia virtutem universam significat, a Theognide, qui proximus Hesiodo in excolenda disciplina morali est, ita pronuntiatur v. 147:

Hesiodi auctoritate. Cf. Plat. Repl. II, 364. a. 365. b. sqq. Xenoph. Mem. II, 1, 20. al. Complures locos collegit Ruhnk. ad Xen. l. l.

Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετὴ 'στιν,
πᾶς δέ τ' ἀνὴρ ἀγαθὸς Κύρνε δίκαιος ἐών.

Quocum loco hoc Hesiodi dictum comparari et coniungi potest: Ἔ. 281. *δίκη, ἥ πολλὸν ἀρίστη γίγνεται.* Qua *in re* quam recte antiquissimi poëtae ex ipsius Aristotelis *sententia* censuerint, huius locus Eth. N. V, 1, 19 demonstrat: *Αὕτη μὲν οὖν ἡ δικαιοσύνη οὐ μέρος ἀρετῆς, ἀλλὰ ὅλη ἀρετή ἐστιν, οὐδ' ἡ ἐναντία ἀδικία μέρος κακίας, ἀλλ' ὅλη κακία.* (Cf. Plat. Repl. I. p. 336. a. II. 367. a. al.) Quum autem iustitiam Hesiodus statuerit summam et unam esse virtutem, proposito hoc eius convenientissimum esse cuique facile videatur, quod omne pravitatis improbitatisque genus i n i u s t i t i a e notione comprehenditur. Quae illam complectitur corruptelam morum, qua officia et erga homines et erga deos tuenda omnino subvertantur, hominumque cum diis consuetudo, dum iustitia colitur firma et integra, tollatur. Nam iustitia eo certius homines cum diis conciliet necesse est, quo verius ea a diis profecta esse creditur. V. Ἔ. 36. *ἰθείαι δίκαι, αἵτ' ἐκ Διός εἰσιν ἄρισται.* Sicuti igitur iustitia custodita arctissime cohaeret cum pietate erga deos servata, ita *ὕβρις*, arrogans iniustitia et effrenata violentia, ab Hesiodo coniungitur cum spreto deorum cultu. Ἔ. 136—139. — Pravitas illa et iniustitia quae ferrea aetate obtinuit insignis describitur discordia et infaustis studiis, quibus homines inter se dimicarent (*σχέτλιοι* scil., *οὔτε θεῶν ὄπιν εἰδότες*) v. locus insignis: Ἔ. 184—193. — Sicuti pax et concordia uti assiduae iustitiae comites apparent (Ἔ. 227 sqq.), ita cum universa iniustitia copulata cognoscuntur discordia et bella. Ἔ. 147 sqq.

Iam in eo sumus, ut quae praeceptorum Hesiodi moralium genera esse hac priore scriptionis nostrae particula statuimus, qua quidem in universum rationibus ea fulcire atque ad principia revocare conati sumus, singulari quodque disputatione enarremus et illustremus.

Particula posterior.

I. De pietate erga deos, eorumque cultu.

Omnia, quae erga deos tuenda sunt, officia notione *εὐσεβείας*, *δεισιδαιμονίας*, religionis, pietatis, reverentiae, verecundiae continentur, quae antiquitus in prima *Χείρωνος ὑποθηκῶν*, quae Hesiodi feruntur, commendabantur. V. fragm. CXV. Goettl. Triplicem enim potissimum veteres statuerunt legem hominibus observandam esse, quarum prima pietatem erga deos iussit. Hae leges a Triptolemo putabantur esse latae, easque Eurip. fragm. 42. Antiop. ita exhibet: *τρεῖς εἰσιν ἀρεταὶ, τὰς δὲ χρή σ' ἀσκεῖν, τέκνον, θεούς τε τιμᾶν, τούς τε θρέψαντας γονεῖς, νόμους τε κοινοὺς Ἑλλάδος* (cf. Eur. Herc. f. 584). Pindarus eas a Chirone ipso repetit primoque loco commendat *μάλιστα μὲν Κρονίδαν - - θεῶν σέβεσθαι*, secundo *τιμὴν γονέων*. Pyth. VI, 25. cf. Dissen. ad h. l. cf. Ol. II, 41. Pyth. II, 81. V. Aesch. E. 534. Suppl. 702 . 27. Ch. 242. al. cf. V. Cl. Welcker. Trilog. p. 101, eiusd. Prolegg. Theogn. p. 4.

Pietas autem erga deos in honoribus praecipue conspicitur, qui ipsis exhibeantur, omnique modo, quo ab hominibus adeantur. Id imprimis hisce cognoscitur sententiis: *Ἔ.* 137. homines postremi aevi .... *οὐδ' ἀθανάτους θεραπεύειν ἤθελον, οὐδ' ἔρδειν μακάρων ἱεροῖς ἐπὶ βωμοῖς, ἣ θέμις ἀνθρώποισι κατ' ἤθεα*, κ. λ. usque v. 141.

Memorabilis hic prae ceteris est locus: *Ἔ.* 338 sq.

καδδύναμιν δ' ἔρδειν ἱέρ' ἀθανάτοισι θεοῖσιν,
ἁγνῶς καὶ καθαρῶς, ἐπὶ δ' ἀγλαὰ μηρία καίειν.
ἄλλοτε δὲ σπονδῇσι θύεσσί τε ἱλάσκεσθαι,
ἠμὲν ὅτ' εὐνάζῃ, καὶ ὅταν φάος ἱερὸν ἔλθῃ. κ. τ. λ.

Videantur etiam hi loci: *Ἔ.* 726—728. — fragm. CXV. Goettl. — Θ. 417. — Expiationis et placationis deorum

etiam mysticae, quae postea inter Graecos tantopere valebat, indicia quaedam apud Hesiodum inveniuntur *).

Nam aetate Hesiodea non solum Thracia mysteria, *sed* Phrygum etiam orgia arcanaque sacra innotescere *coeperunt*. V. fragm. XXIX. Goettl. quo *Διονύσου τελεταί nominantur, et* fragm. XCIV: *κουρῆτές τε θεοί, φιλοπαίγμονες, ὀρχηστῆρες*. cf. *Ἔ*. 757. — Cf. V. Cl. Brandis. Hist. Philos. p. 59; Creuz. et Herm. Epist. p. 202; Comment. De Daemonolog. Graec. in Zimmerm. Diar. 1833. N. 1. — Choris quoque splendidis dii Olympii delectantur. *Θ*. 63. 7. *Ἀ*. 272. 277. 280. 284. 201. fragm. XCVII. cf. Hom. Od. VIII, 248. al. — Porro dies quidam diis sacri pie riteque observandi sunt, qui enarrantur in postrema *Ἔ*. parte cui nomen ab *ἡμέραις* est, quae fastorum speciem praebent. V. imprimis *Ἔ*. 771. 773. 805. 821. al. cf. Interpp. Ad cultum religionemque erga deos pertinet etiam divini consilii percontatio et perscrutatio. Auspicia igitur antequam opus aliquod suscipiatur investiganda sunt. Aves enim dies faustos infaustosve quaerenti indicant. *Ἔ*. 803. Oraculi praeterea Iovis Dodonaei celebratissimi in Eoeis mentio fit satis memorabilis. V. fragm. LIV. cf. fragm. CXXIV. Hom. Il. XVI, 233. — Qui a diis in aliquo opere adiuvari velit, is piis p r e c i b u s eos invocare debet. Ita monet poëta, ut Plutonem Cereremque imploret, qui facere cupiat messem magnam et maturam. V. *Ἔ*. 467. A diis auxilium quoque et a periculis defensio petitur, manibus expansis, cuiusmodi exemplum *Ἀ* 245 sqq. profertur. Cf. fragm. CXLIII. Goettl.; *Ἀ*. 68; fragm. CXVI. Prae ceteris imploranda est Hecata dea adiutrix, quae valde potens cuiusvis rei largiri valet bonum eventum faustumque successum. V. *Θ*. 404—451. — Cavendum est cuique, ne flumina transeat, priusquam oraverit adspiciens fluctus, manusque laverit. *Ἔ*. 739.

*) Quin immo quaedam apud Homerum ad mysteria spectare videntur: Il. VI, 132 Sine dubio huc referendi sunt hymni Hom. XIII. XVIII. al. Est Voelckerus qui (Mythol. Iapet) etiam in his locis tale quid persentiscere sibi videatur: Od. XIX, 457. Il. I, 471. XXII, 391. XXIV, 710.

Ad hoc genus pertinet etiam **iusiurandum**, quae est affirmatio religiosa, ut quod quasi deo teste promissum sit, servetur vel praestetur. V. *'A.* 20. *θεοὶ δ' ἐπιμάρτυροι ἦσαν.* Cf. Hom. Il. III. 276, VII. 76. Dii igitur ipsi et Erinyes custodiunt iusiurandum: quorum odium peierantem nunquam deserit; diique ipsi, quod per Stygem iurarunt, eo religiosissime tenentur, quia eos quoque periuros gravissima sequitur poena. *Θ.* 775—806. Cf. *Θ.* 400. Cf. Il. XIV, 273. XV, 36. al.; Aesch. Eum. 621. Pind. Ol. VII, 65. — Itaque iusiurandum ipsum tanquam sanctae personae habitu ab Hesiodo efformatum est: quod quidem numen suam ipsius religionem violatam ulciscitur. *Ὅρκος* igitur deus est Eridis filius, circum quem Erinyes versantur. *Ἔ.* 805 sqq. — *Θ.* 231. — *Ἔ.* 221. Cf. Pind. Nem. XI, 24. — Hominibus igitur iureiurando nihil sanctius et religiosius esse debet. Quod eius nulla fuit reverentia, gravissimum documentum pravitatis Hesiodei aevi est. V. *Ἔ.* 192. 196.

Itaque periurum cives tantum non exsecrantur, una cum tota stirpe ipsius: *Ἔ.* 284. Contra *ἀνδρὸς δ' εὐόρκου γενεὴ μετόπισθεν ἀμείνων.* *Ἔ.* 287. (Cf. Orac. apud Herod. VI, 86. — Plat. Rep. II, 363. d.)

II. De iustitia.

1) De divina iustitiae administratione.

Quo iure hoc disputationis caput cum pietate maxime coniungatur, in universum iam demonstratum est, quum dii ipsi iustitiae sint custodes et vindices. Quae ratio omnino in deorum indole praecipua posita est: qua impelluntur, ut ita in iustitia universa administranda versentur, suamque vim in regendis rebus humanis demonstrent, ut legibus suis stabiliendis et servandis operam dent. Iovi imprimis summum divinae iustitiae praesidium assignatur, ut cuius virtuti et dignitati convenientissimum sit. Eius igitur iustitiae vis ad hominum facinora regenda admodum memorabilis est et per-

spicua: quam quidem Iuppiter rerum humanarum dominam constituit. Vid. "E. 227 — 242., quo loco iustorum hominum felicissima conditio, nunquam a Iove bello immisso, praedicatur, pravos autem incolas a Iove pessum dari et deleri pronuntiatur, saepeque propter unius viri scelus totam perdi civitatem. — Sequitur inde maior carminis pars, quae a v. 250. usque ad v. 286. in iustitia tractanda pergit, duabus de caussis hoc loco respicienda. Nam primum his versibus id probatur, de quo iam dictum est, scelestos propter scelera sua plecti, malosque malis et aerumnis affligi, bonos contra, qui virtutem coluerint vitamque divinis legibus congruam degerint, bonis praemiisque ornari Cf. "E. 323. sqq. 329 sqq. 640. 719. Praeterea autem ex eadem illa carminis parte modus perspicitur, quo deos in administranda iustitia versari Hesiodus opinatur. Iuppiter enim ad rerum omnium ordinem regendum et gubernandum ministros consiliorum suorum et satellites instituit, qui, rerum humanarum custodes et observatores, omnia opera, etiamsi ipsi caligine involuti non conspiciantur, animadvertant, et de iis quae ab hominibus iuste aut prave facta observarint Iovem reddant certiorem, ne quid inultum neve poena destitutum maneat. "E. 249 sqq. 124. Praeter hos nuntios divinos Hesiodus *Δίκην* nominat ("E. 258 sqq.), cui imprimis iustitiae tuendae munus mandatum sit. Huius enim deae est, observare, ne quis iustitiam laedat, et quum iniuste quid factum in terris viderit ad patrem Iovem redire eumque movere, ut iniustos impiosque puniat. Ab Hesiodi igitur mente non alienam fuisse apparet hanc notionem, ut in regimine mundi providentiam quandam a Iove iustissimo repraesentatam crederet. Siculi enim universa hominum societas iustitia servata continetur, ita divina iustitiae administratio recte potest gubernatio mundi appellari. Attamen haec sententia quae sane magna quaedam est et gravis, aliis obscuratur et reprimitur opinionibus, quae de necessitate apud Hesiodum reperiuntur e numinibus quibusdam pendente, quam nemo fugiat. De fato Hesiodi sententiam universam explicare quum non sit huius loci, tamen

non supervacaneum visum est, eas huius doctrinae rationes proponere, quae ad numina fatalia spectant, quibus aliquod sit negotium in iustitia administranda. Cf. Platneri „Notiones Iuris et Iustitiae etc.“ Primum locum in rerum gubernatione obtinent *Μοῖραι*, Parcae, quarum universa natura e Theogonia Hesiodea cognoscitur, in qua duo loci inter se diversi inveniuntur, quibus quomodo Parcarum notio ab incultiore necessitatis opinione ad excultiorem iustitiae administratae cognitionem sensim processerit perspicitur. Priore enim loco *Θ*. 217. filiae praedicantur Noctis, quae res haud dubie significat occultam fati naturam, cuius leges tenebris involutae ab hominum mentibus animisque non cognoscantur. Quod nox perhibetur huius numinis divini genetrix esse, id ei rerum statui convenit, quo Saturno regnante natura secum ipsa discors et dissona nondum ad fixas leges erat conformata, sed incondita et indigesta iacebat. Hanc igitur necessitatem ne dii quidem fugere possunt, quorum peccata Parcae persequuntur et vindicant. Qua ipsa in ratione iam quaedam iustitiae administratio apparet, praesertim quum Soror Parcarum *Νέμεσις* dicatur *Θ*. 223. — Cf. *Θ*. 464. et 475. — Alter locus est *Θ*. 903. quo, qua ratione Parcae ad iustitiae administrationem valeant, aperitur. Praedicantur enim filiae Themidis, qua id significatur, quod lege divina vel ipsius natura animi humani sancita compositum est et statutum. Procreatae sunt Parcae sub Iovis imperio iustissimi, qui sedato et conciliato virium antea inter se discordium tumultu omnes vitae naturaeque rationes pacare certisque legibus tranquillare instituit. Cui novo rerum ordini ita Parcae adaptatae videntur, ut Iuppiter ad consilia sua perficienda iis utatur. Quam ob rem Horarum sorores appellantur, quae quidem perfectum certisque iustitiae legibus temperatum rerum modum et ordinem significant, unde etiam nominatae sunt: *Εὐνομίη*, *Δίκη*, *Εἰρήνη*. Pax autem et iustitia plerumque coniunctae esse solent. V. *Ἔ*. 230. — De Furiis, quibus periurii vindicandi munus sit tributum, iam dictum est.

Quoniam igitur divino consilio et voluntate omnes res humanas regi et imprimis iustitiam administrari est intellectum, consentaneum est quaerere, quomodo hae caussae, secundum quas sese ipsos suasque actiones disponant, ab hominibus cognoscantur. Quemadmodum autem quaevis hominum societas legibus constitutis temperatur, ita in mundi quoque gubernatione lex quaedam est et summa auctoritas, ad quam quid omnino licitum sit, quid vetitum perpendatur oportet. Duplex huius legis est genus. Quorum unum sensus ille est sanctissimus cuique a natura innatus et inhaerens quo bonum probatur, malum damnatur, sive conscientia illa, quae mentem puram et integram beat, malam angit, et cuius in utramque partem vis est maxima: id quod praeclaris versibus *Ἔ.* 360 sqq. describitur. Item imago hominis, qui vehementer dolet ob facinora temeraria, quae frustra seroque cupit non facta esse, exhibetur *Ἀ.* 90 sqq. Malae conscientiae angor et sollicitudo divinitus mittitur, quo munere certa numina funguntur. V. *Ἔ.* 805. 221. *Θ.* 230. Ad hoc genus pertinere etiam ἄτη illa Hesiodi videtur, quae *Ἀ.* 93. seram poenitentiam conscientiamque malam indicat.

Alterum huius summae legis genus amplectitur constitutionem divinitus datam, e qua universa hominum societas, tamquam civium in re publica coniunctio, omnino temperetur. Norma igitur, qua quid ius, fas, nefasve sit, a diis constitutum est, hisce modis ab Hesiodo appellatur: *Θέμις*, *Δίκη*, *Νόμος*. Quorum viri docti id statuerunt discrimen, ut *θέμιστα* dicant esse fas, ius divinum, quod dii hominibus religiose servandum imponant (*Ἔ.* 139. *Ἀ.* 22. 447. al. cf. *Θ.* 16. 135. 901); *Δίκην* autem ius civile, leges civitatis intelligant. (*Ἔ.* 264. 266. 194. 219. 251. 274. al.) Sed saepe ab Homero et Hesiodo ita haec usurpantur, ut *Θέμις* illud quoque ius significet, quod homines dicunt, iudiciumque ipsum (*Ἔ.* 223. *Θ.* 85. 235. Od. IX, 215), et *δίκαι* sint iura a Iove profecta. (*Ἔ.* 36. 281. 241. Od. XIX, 43. cf. *Ἔ.* 258. *Θ.* 602.) — Alia significatio summae legis, Homero ignota, est *νόμος*. (*Ἔ.* 278. cf. *Θ.* 417. *Ἔ.* 390.) V. *Θ.* 66. quo loco

νόμοι et ἤθεα coniunguntur, a quibus universa disciplina ethica nomen habet. Sic significatur proprie qui in vulgari usu est et consuetudine mos. Ἔ. 139. Tum, quam nobis natura imposuit, persona, ingenium, indoles et morum conditio. Ἔ. 67. 78. 701.

---

2. De iustitia humana.

Versatur hoc caput totum in hominum inter se coniunctionis ratione. Primarium enim societatis humanae vinculum quaerendum est in iustitia servata et custodita, cuius summum, e quo omnia cetera manant, praeceptum quasi iure naturae sancitur. Id autem „suum cuique tribuendum esse“ praescribit, qua sola lege homines celeris animalibus praestant. V. Ἔ. 276 sqq. Quoniam autem duplex potissimum est societatis humanae genus, quod utrumque non nisi custodita iustitia et vitata iniustitia servari potest: quorum unum rationibus privatae et familiaris vitae efficitur, alterum vita in civitatibus publica: utrumque singulatim tractandum est. Praemittenda autem nobis visa sunt quaedam praecepta, quae aut ad universam generis humani rationem ita pertinent, ut sine iis omnis communio debilis sit et mox peritura, aut ad illas hominum coniunctiones spectant, quarum mutua officia Hesiodus strictim tantum tangit: ut supervacaneum videatur ad certos ordines ea disponere. Haec igitur officia prodeunt e sensu amico et benevolo, grato et liberali animo et fide. Quum fide maxime nitatur omnis in rebus securitas et successus, in ea praecipua cautio est adhibenda. „Nemini igitur omnino fidendum esse“ Hesiodus praecipit. Nam fides ac diffidentia aeque homines perdit. „Cum ipso fratre testem adhibeto ludens“ (h. e. quasi per iocum agens, ut eius rei severitas temperetur). Maxime ab uxore blande garriente ne decipiare caveto: nam ei non magis confidendum est quam furibus. V. Ἔ. 373—377. *) Praeter fidem communitatis

---

*) Huic loco annexi sunt quinque versus Ἔ. 378—383., quos in

vinculum potissimum efficitur amicis beneficiis ultro citro datis acceptis. Igitur oportet „amari amantes; quemque opitulari opitulato, dare ei qui dedit, et non dare, qui non dedit." Ἔ. 355 sqq. — His optime adiuncta sunt praecepta de vitandis rapinis Ἔ. 358 sqq. Praeterea religiosissime reddendum est mutuum fugiendumque lucrum. „Quae utenda acceperis a vicino, eadem aut etiam cumulatiore mensura, si modo possis, iubet te reddere Hesiodus. V. Ἔ. 351 sqq. Cf. Cic. De Off. I, 15. In universum cum vicino firmior est societas quam cum eo, qui est remotior. „Eum igitur praeter ceteros ad convivium vocato. Nam quotiescunque quid secus tibi acciderit in eo, in quo versaris vico, vicini discincti (extemplo) succurrunt, affines contra prius tunicam cingunt." — „Damnum malus vicinus, quantum bonus est commodum." — „Nactus est rem magni pretii, qui nactus est probum vicinum." *) — „Neque bos interierit, nisi malus vicinus sit." V. Ἔ. 345 — 350. cf. 702. — Ad haec universa officia illa quoque sententia pertinet, quae v. Ἔ. 372. continetur, cuius vim hanc esse puto: Amico etiam mercedem, de qua convenit, sufficientem praesta, non abusus scil. amicitia ad commodum tuum. —

Sed ne ex necessitudine, quae cum hominibus universis intercedit, damnum oriatur, cavendum est a malorum soda-

---

unam sententiam coniunctos explicare frustra plerique tentarunt interpretes. Una mihi intelligendi conditio est, ut scil. diversas omnino sententias hoc loco esse copulatas statuatur. Bene prima se habet sententia: „Unus tantum adsit filius, ut paternas opes servet, sic enim res familiaris augebitur in aedibus." Aliam prorsus v. 380 indicat: „Videat senex, ut quando moriendum sit post se relinquat heredem." — Tertia tantem haec est: „Facile pluribus praebuerit Iuppiter immensas opes. Quo plus curae adhibetur, eo plus opibus adiicitur." Cf. Pind. Isth. V, 67.

*) Sententia vulgata et fere proverbialis („Wer einen guten Nachbar hat, hat Geldeswerth." v. Lehrs Quaest. Epic. p. 246.) cf. Schol. Procul. et Lanz. ad h. l.; Colum. D. R. R. I, 3. — Herod. I, 134.

litate et coniunctione. V. Ἔ. 718. cf. 176; Solonis μὴ κακοῖς ὁμίλει. Theogn. 31. cf. Cl. V. Welcker. ad Theogn. v. 1151.

De vita privata et familiari. In omni hominum consociatione, ut ea divisione iam utamur quam supra statuimus, nullo haud dubie vinculo homo cum homine copulatius coniungitur quam quod per familiae rationem constitutum est, in qua cura eorum hominum, qui origine sua inter se proximi habentur, et providentia prudensque administratio rei familiaris, qua unusquisque cum suis honesto iustoque modo vivat, neque alienis uti cogatur, in summo primoque est officio posita. Quod ita contemplari placet, ut primum, erga quem sit tuendum, dicatur, tum quibus potissimum rebus servetur.

Nullum est sanctius vinculum, quam quod pietate liberos cum parentibus copulat, neque ulla severius, quam quae erga parentes sunt, officia a diis custodiuntur. *) Hesiodus igitur Iovis vindictam ei minatur, qui patrem suum non religiosissime colat. Ἔ. 333—335. Summa enim contra parentes impietas poëtae aetate invaluerat. Ἔ. 187 sqq. — De mulierum conditione et aestimatione postquam Hesiodi sententiam iam indicavimus (Θ. 590 sqq. Ἔ. 375 sqq. Ἔ. 704.), vix opus est monere, quam levia ipsi videri debuerint erga uxores officia. In quo genere eius sententiae respiciunt tantum commodum vel incommodum, quod viro ex illarum communitate oriri soleat, et cautionem quam in eligenda uxore adhiberi oporteat. „Rei domesticae procurandae caussa necesse est te in flore aetatis ducere uxorem, si triginta fere annos compleveris: hoc aptum est matrimonii tempus. Uxor viro nubat quinto post pubertatem anno, sitque virgo. Sed elige potissimum vicinam puellam. Sed caute elige, ne vicinis ludibrio ducas. Neque uxore proba melius quidquam vir sortitur, neque mala quidquam infortunius (cf. Simonid. fragm. 6. Delect. Schneidew.)" etc. V. Ἔ. 697—708. cf. 781. — De

*) Γονεῖς τιμᾶν. V. Hom. Il. IV, 478. XVII, 302. Cf. „Honora parentes, ut diu vivas in terra"! V. Theogn. 821.

liberis Hesiodus nihil praecipit, nisi quae de iis procreandis et relinquendis in universum suadet. V. *Ἔ.* 378 sqq. 785 sqq. al. — Sequuntur fratrum consortia, in qua re Hesiodus ipse ingratissima expertus erat. Fratri igitur non esse fidendum de Hesiodi mente, iam supra intelleximus. Nihilo tamen minus fratrem fratri carum esse debere poëta ipse sensit, atque questus est, quod sua aetate amor fraternus interierit. V. *Ἔ.* 186. cf. 330. 709.

In arctiore igitur vitae privatae coniunctione summum est praeceptum, ut unusquisque sibi suisque omni modo provideat et efficiat, ne contra alios iniuste agere propter rerum necessariarum inopiam cogatur. Quam ob rem poëta continua praeceptorum serie *Ἔ.* 300 sqq. in iis rebus considerandis omnem ponit operam, quibus maxime iniustitia devitetur. Quae ob eam caussam proponit praeclara sane sensa, haec sunt: Laborandum esse et desidiam fugiendam, *Ἔ.* 300—328.; non parvi aestimandos homines: nam ea res ad *ἔργα ἄδικα* refertur, *Ἔ.* 329—336; colendos esse deos (*ὄφρ' ἄλλων ὠνῇ κλῆρον, μὴ τὸν τεὸν ἄλλος*), *Ἔ.* 337—343; benevolentiam aliis exhibendam esse, ut res tuas adiuvent, *Ἔ.* 344—362; unumquemque contentum esse debere opibus partis, *Ἔ.* 363—367; suis parcendum esse, *Ἔ.* 368—371; cautionem adhibendam in dictis factisque omnibus, *Ἔ.* 372—382; imprimis autem ordinem servandum et gnavitatem acreque studium in exsequendis negotiis universis, *Ἔ.* 383—406. Hoc modo Hesiodus ad summam carminis revertitur, a qua illi nomen inditum, hoc est ad privata et rustica opera optima ratione perficienda. Nam inde a v. 406. praeceptis moralibus omnino omissis tantummodo consilia sequuntur, quae ad rem familiarem et domesticam procurandam pertinent; quibus qui obsecundet ac labori, imprimis agriculturae, ut quae *potissima* pars sit rerum familiarium, studeat, eum iustum evadere, quoniam victum habeat partum, unde honeste possit degere, neque, cur alienas appetat opes, habeat. Toto igitur de Operibus carmine Hesiodum docere voluisse statuendum est, qua ratione rei familiaris cura et administratio suscipi et geri pos-

set. Ex labore divitiae, ex his divitiis iuste comparatis virtus, ex virtute pax nascitur, quae est omnium vitae conditionum optima. V. *Ἔ.* 291 sqq. 310. 314—317. 227 sqq. cf. *Θ.* 902 (*Εἰρήνη τεθαλυῖα*). Quodsi a viris doctis observatum est, omnia Hesiodi praecepta ita aut ad fratrem Persam dirigi aut ad reges, ut duo in civitate hominum ordines significari videantur, humilior eorum, qui manibus sibi parere victum debeant, et nobilior, penes quem sit rerum publicarum imprimis iustitiae administratio: id verum esse hac quoque re cognoscitur, quod adhortationes ad opera suscipienda omnia ad Persam spectant. Quem quidem solemniter hoc modo praeparatum:

Σοὶ δ' ἐγὼ ἐσθλὰ νοέων ἐρέω, μέγα νήπιε Πέρση, *Ἔ.* 288.
Hesiodus ita alloquitur:

ἀλλὰ σύ γ' ἡμετέρης μεμνημένος αἰὲν ἐφετμῆς
ἐργάζευ, Πέρση, et ab hoc momento, rationibus, quaecunque afferri queunt, omnibus cumulatis, ad laboris cupiditatem illum inflammare studet. Ita enim poëta praecipit: *Ἔ.* 301 sqq. „Labora, o Persa, qui a probo patre natus sis, ut te fames oderit, amet autem Ceres victuque tuum impleat horreum. Nam fames omnino cum viro inerti consociata est. Eum vero et dii aegre ferunt et homines, qui otiosus vivit, fucis ignavis similis appetitione animi, qui apum laborem absumunt otiosi vorantes. Tibi vero curae sit opera iusta obire, ut tibi victu e maturis fructibus impleantur horrea. E laboribus autem viri divites et opulenti. Et si laboraveris, multo carior diis eris atque hominibus: adeo illi oderunt inertes. Laboris nullum est dedecus, sed summum ignaviae. Si vero laboraveris, statim te aemulabitur iners divitem. Divitias virtus et honor sequitur. Dei similis es, si ita agis; qua propter praestat operari . . . . Pudor egestatem comitatur, bonus animus autem opulentiam" et quae sequuntur. Quo loco ita industria laborisque studium commendatur, ut summa omnium officiorum comprehendatur, quae aut ad nosmet ipsos spectant, aut vinculis quibus cum hominibus iuncti sumus arctissimis nituntur aut religione erga

deos. Ad primum officiorum genus spectant quidam loci, quibus qui fructus e labore ad vitae usus et commoda unicuique redundent, enarrari satis iam supra vidimus. Secundum genus hac imprimis sententia gravissima probatur: *E.* 401. *„ἐργάζευ . . . μή ποτε σὺν παίδεσσι γυναικί τε θυμὸν ἀχεύων ζητεύῃς βίοτον κατὰ γείτονας. κ. τ. λ.* In universum aliorum hominum aestimatio, honoris aemulatio, pudor et contentio ignavos ad laborem impellunt. Quae verae laudis cupiditas concitatur ab Eride bona. *Ἔ.* 20. cf. *Ἔ.* 314. —. Etenim duas esse Hesiodus dicit (*E.* 11—21) deas, uno quidem appellatas nomine, sed natura et ingenio diversimas sibique toto animo adversantes; quarum altera aetate minor vehementer reprehendenda bellum rixamque excitare soleat, altera vero eaque maior natu multoque praestantior et a Iove terrae radicibus hominibusque insita vel inertem ad opera suscipienda impellat. Haec est hominum aemulatio, quam tota antiquitas rerum maximarum praeclarissimarumque fontem esse et originem existimavit. Cf. Rank. Comment. De Hes. Opp. p. 44. Bona dea (*ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσι*) in liberali aemulatione posita origo est omnium laborum et facinorum, quae commodis suis prospiciendi caussa ab hominibus suscipiuntur. Aemulatio igitur inter homines per se in utramque valet partem, et per studium ad quod inpellit vel bona est appellanda vel mala. *)

Tertia denique laboris caussa, quam satis superque iam explicavimus, sita est in religione deorum, quippe qui opera suscipienda monstrent et designent, bonumque eorum successum et opulentiam largiantur. V. *Ἔ.* 400. 302. 311. 467. 828; 283. 381; 322. cf. *Θ.* 968. (Ceres parit *πλοῦτον*!) — Quemadmodum autem dii viro probo opes augent, ita iniusto minuunt et pessum dant rem familiarem, quam lucri amore

---

*) Ita *ζηλοῦν* Hesiodo hoc loco 23. et *Ἔ.* 314 usurpatur, quum contra *ζῆλος*, livor malis gaudens, hominibus exitiosus sit. *Ἔ.* 197. Est ille igitur in *Θ* 384. deus e Styge oriundus. Propter similem rationem Eris ipsa item Noctis est filia. *Ἔ* 17. cf *Θ.* 225.

deceptus impudentiaque victus sive manu sive lingua praedatus sit. "*E.* 323. Paupertatem igitur malam poëta dicit a Iove mitti. "*E.* 640. *)

Attamen non solum monere voluit Hesiodus, ut unusquisque assiduitati operibusque perficiendis studeret, sed docere etiam, quinam potissimum labores et quo ordine et modo suscipiendi essent. — Primum igitur quaedam leges respiciendae sunt e prudentia quadam vulgari profectae, quae in universum ad labores perficiendos spectant: „Laborandum est omnibus viribus, nam deorum consilio non facilis quaesitu est hominibus victus" "*E.* 42. 47. cf. 291. — „Qui rem suam augere vult, ne minima contemnat. Si saepius parva parvis adduntur, mox magnum aliquod existet." "*E.* 363. — „Cura parva esse debet litibus forensibus, cui non copia fructus maturi in annum iacet, quam terra fert, Cereris donum." V. "*E.* 30 - 33. — „Nĕ differ et procrastina ullum opus." V. "*E.* 412 sqq. — „Tempore praesenti utendum est, non semper erit aestas." "*E.* 505. — „Maxime ad omne opus apta est aurora" "*E.* 580—583. — „Laborare hominem iuvat, sed largus verborum proventus inutilis est." "*E.* 405. — Totum tandem Hesiodi propositum hac una continetur sententia:

σοὶ δ' εἰ πλούτου θυμὸς ἐέλδεται ἐν φρεσὶν ᾗσιν,
ὧδ' ἔρδειν, καὶ ἔργον ἐπ' ἔργῳ ἐργάζεσθαι. "*E.* 383. 384.

Ab hoc inde loco "*E.* 385, postquam, quibus opus esse videbatur, universa praecepta sunt, singulares exponuntur leges, quae in quoque hominis opere sint servandae. Instituunt eae virum gnavum, quo tempore sit serendum, arandum, messis facienda; quo ligna colligenda, instrumenta rustica procuranda; qui boves eligendi, qua ratione alendi; quomodo optime agri colendi munere quoque fungendum;

---

*) Itaque mendici singulari Iovis tutela utuntur. "*E.* 719, 720. cf. Hom. Od. VI, 208. Theogn. 155. — Etiam mala fama, quae bonae hominum aestimationi nocet, e diis imminet. V. Hes. fragm. CXXXVI. Goettl. Omnis malae famae gravitas et noxa hoc loco expressa est: "*E.* 763 sqq.

quae sint tutamenta contra biemis asperitatem; quando vites amputandae uvaeque subiiciendae prelo; quales servi, canes comparandi: quo tempore liceat genio indulgere, quo vinum bibere, carnemque esse, concumbere cum uxore. Qui periculosae navigationi studere velit, quando debeat naves trahere in siccam terram, qua ratione a tempestatis impetu servare, qualem navem, quae instrumenta procurare, quando navigare. —

Sed non labore solo vir sibi suisque opes comparare potest et debet ac servare, sed etiam apta parsimonia. „Parce tuis dum adsunt. Parce vero, non si ad finem copiae veneris, tum enim sero est, sed in tempore, ne celerius copia atteratur. In magna quidem opulentia licet utique lautius paullo et sumptuosius vivere.“ Ἔ. 370.

De vita publica. Reliquum est, ut de iustitia humana in civitatibus administranda et iudiciorum dandorum potestate dicatur. Summa autem haec civilis potestas in manu et moderatione principum (βασιλέων) erat, qui in concionibus populi lites diiudicabant. V. Θ. 85 sqq. Ex toto igitur Hesiodi de Operibus carmine reges insolentia et violentia, qua libertatem populi opprimerent bonisque eius insidiarentur, invidiam maximam, odium et offensionem sibi conflasse cognoscitur. Cuius rei Hesiodo caussa praeterea fuit privata et singularis. Quum enim Persa frater tantum non omnia luxu nimio et largitione male dilapidasset, atque ex locuplete et opulento miser et inops factus esset, licet hereditatem adeptus satis copiosam, aliena appetebat, maxime autem Hesiodum iniustis iudiciis ex ipsius hereditatis parte eiicere studebat. V. Ἔ. 37. al. Obiurgat igitur poëta gravissime iudices iniustos, qui vel gratiam aucupati vel pecunia corrupti caussas diiudicent. Ἔ. 35. 39. 204. 223. 265. Hac regum criminatione Hesiodus maxime ab Homero differt, cuius tempore reges religiosissime colebantur, quibus rei publicae gubernacula a diis concessa essent. Hesiodi autem aevo potentiae abusu factum est, ut reges contemnerentur rerumque gubernatio paullatim in multitudinis dominatum abiret.

Iustitiae primum munus est, ut ne cui quis noceat, nisi lacessitus iniuria. Hoc genere illud summum continetur praeceptum „suum cuique esse tribuendum", e quo omne ius pendet. Ius autem a diis sancitum, utpote quibus omnis rei publicae coniunctio teneatur, audiendum est, nec unquam deserendum. ''E. 215. 277. — Viri autem in civitatibus instituti sunt, qui iura servent et secundum ea caussas iudicent, quid rectum quid non sit, e certis legibus vel sua persuasione pronuntiantes. Iudicum igitur est prima virtus, si non omnis hominum coniunctio tollatur, ut ipsi sint iusti. Quapropter in eo omnem ponit Hesiodus operam, ut principes ad iustitiam impellat. V. ''E. 250 sqq. Sed non solum animus iudicis totus recti iustique sensu repletus sit oportet, sed iura ipsa vera, recta, nullam in partem cupidius intorta esse debent, quorum auctoritatem sequatur iudicium (*δίκῃ ἰθύνειν θέμιστας.* ''E. 9.). V. Θ. 84. — Quae autem malum efficiant iudicem, duae potissimum esse caussae dicuntur. Quarum una cernitur in eius culpa, qui non ius rectum — *ἰθείας δίκας.* e. c. ''E. 36. — sequatur, sed ius torqueat, iustitiamque omnem per vim trahat et violet. V. ''E. 222 sqq. De qua iustitiae violatione Iuppiter ipse graviter irascitur. V. ''E. 263 sqq. cf. 252. Et porro ''E. 265. 266.: *βασιλεῖς, ἰθύνετε μύθους δωροφάγοι, σκολιῶν δὲ δικῶν ἐπὶ πάγχυ λάθεσθε.* Hoc loco altera quoque iniustitiae iudicum caussa indicatur, quae in corruptione est posita. Quia enim dona accipientes e gratia caussas diiudicabant, iure *δωροφάγοι* appellantur. ''E. 222. saepe. — Quum autem duo sint genera decertandi, unum per disceptationem, alterum per vim: confugiendum est ad posterius, si uti non licet priore illo. Est id autem id, de quo nunc agimus. Priusquam enim iniuria lacessitus vi utatur, fas est coram probo iudice sine vi discordias litesque componere. V. ''E. 35. et Θ. 87. Ex ''E. 29. consequitur lites in foro publico solitas esse tractari. Memorabilis locus est Θ. 226., quo *Νεῖκος* et *Δυσνομία* uti numina proferuntur. — Alterum decertandi genus in bello positum est. Suscipienda autem sunt bella eam ob caussam, ut sine

iniuria in pace vivatur. Bella et forenses lites ex eodem fonte proficiscuntur, hoc est e mala contentione et aemulatione. *Ἔρις σχετλίη* seu *κακόχαρτος* bella movet et a labore ad lites persequendas impellit. V. *Ἔ.* 14. 28. 29. — *Θ.* 227. sqq. *Ὑσμῖναι, φόνοι, μάχαι, ἀνδροκτασίαι, νείκεα, ψευδέες λόγοι, ἀμφιλογίαι* ita componuntur, ut tamquam unam Eridis familiam efficiant. Ex omnibus autem locis, quibus Hesiodus bellorum mentionem iniicit, illa apparet inter maximas humani generis miserias numerari. V. *Ἔ.* 147; *Ἔ.* 163., quo loco, quamquam de heroum ad Thebas et Troiam praeclare gestis sermo est, *πόλεμος* nominatur *κακός* et *φύλοπις αἰνή*; V. *Ἔ.* 231; 248. — Insignis est locus *Ἀ.* 237 sqq. quo pulcherrimae belli imagines proponuntur. Numina belli et necis omni modo miserias augent. V. *Ἀ.* 60. 71. 92. 98. 346. al. 326. 339. 343. al. *Θ.* 226. *Ἀ.* 148. *Θ.* 933. *Ἀ.* 195. Victoria denique, quae bellis finem imponit, vel deorum est donum, vel ipsa dea. V. *Ἀ.* 339 et *Θ.* 384. Pax autem ipsa ibi potissimum valet, ubi iustitia maxime colitur. *Ἔ.* 223. *Θ.* 902.

Vitium autem iustitiae summo praecepto, quo suum cuique servari et tribui iubetur, omnino contrarium positum est in inferenda iniuria. Ita enim ius divinum turbatum est et oppressum, cuius locum ius fortioris obtinuit. Ab hoc imprimis regibus, qui sunt fortiores et potentiores iudices, cavendum esse poëta in suavissima illa de accipitre et luscinia fabula Aesopearum simili praecipit *Ἔ.* 204 sqq., qua hae sententiae continentur: *ἔχει νύ σε πολλὸν ἀρείων κ. τ. λ.* et:

ἄφρων δ' ὅς κ' ἐθέλῃ πρὸς κρείσσονας ἀντιφερίζειν,
νίκης τε στέρεται, πρός τ' αἴσχεσιν ἄλγεα πάσχει.

Cf. Hom. Il. V. 407. VI, 129. Theogn. 687. — Eadem sententia his effertur: *δίκη ἐν χερσί.* *Ἔ* 194. 191. (*χειροδίκαι*). Haec igitur omnino non est *δίκη*, sed potius *βίη*. V. *Ἔ.* 277. 323. In *Θ.* 385. *Βίη* Stygis est proles. Quodsi iudices iustitiam vi trahunt, tum tumultus in populo existit. *Ἔ.* 222. — Alia praeterea genera iustitiae adversantur, quo-

rum praecipuum superbia — ὕβρις — quae potentiorum propria esse solet, iustitiam opprimit. In hanc, quae iam secundae aetatis homines perdidit, inter Hesiodi autem aequales regnavit (*Ἔ.* 136. 193 sqq.), poëta invehitur praeter cetera: V. *Ἔ.* 215 sqq. 240. Cf. Theogn. 151. Quando vero *βίη καὶ ὕβρις* locum *δίκης* occuparunt, tum *ἁρπαγή* praevalet, quae primum iustitiae praeceptum penitus evertit; ad quam progrediuntur homines, ut adipiscantur ea, quae concupiverunt: quo vitio simul comprehenditur avaritia. De his igitur vitiis, quibus Persa omnino obstrictus tenebatur, fugiendis saepius poëta praecipit. V. *Ἔ.* 358; 361 seqq.; 317. 322. 323 sqq. — cf. Theogn. 197. 466. Solon. fragm. 11. v. 7. (Delect. Schneidew.).

Quoniam iustitia omnis hominum mutua societas et vitae quasi communitas continetur, priusquam hoc caput omnino mittamus, de virtutibus quibusdam dicendum est cum iustitiae coniunctis, quae, quia iis nihil est naturae hominis accomodatius, hominem cum homine firmius copulant et consociant, quam iustitia in universum, qua ne cui noceatur iniuria, vetatur. Proficiscuntur enim hae virtutes ex liberali et benevolo erga alios sensu, factisque liberalibus spectantur.

Primum igitur de beneficentia dicendum est, cuius duo sunt genera, unum dandi beneficii, alterum reddendi. De collocando autem beneficio in universum agitur *Ἔ.* 356—360. Liberalitatis unum genus imprimis sacrum continet officia, quae supplicibus hospitibusque debentur. Quae constat ab tota antiquitate pro sanctissimo iure habita, quod violare et per deorum leges et per hominum instituta summum nefas esset. Igitur et *δίκη* et *θέμις* nominatur. V. *Ἀ.* 80 sqq. *Ἔ.* 227. cf. fragm. LVI. et XXXI. Goettl. A Iove ipso hoc ius custoditur. (Hom. Od. IX, 270). Nam sicuti Od. VIII, 546. caritas hospitum et supplicum non minoris aestimatur quam amor fraternus, ita ab Hesiodo omnino cum iis officiis illa comparatur, quin immo iis praefertur,

quae fratribus et parentibus debentur, (*Ἶσον δ', ὅς θ' ἱκέτην, ὅς τε ξεῖνον κακὸν ἔρξῃ*.. 329); itaque a Iove ipso vindicatur. *Ἔ*. 335 *). Quemadmodum autem omnibus sceleribus Hesiodi aetas insignis fuit, ita nec hospes hospiti amplius carus fuit vel socio socius, fratri frater. *Ἔ*. 185. De modo qui etiam in hospitalitate tenendus sit v. *Ἔ*. 717. — De reddendo beneficio haec tenenda sunt. Officiorum nullum referendam gratiam anteit. Quod si ea, ait Cic. de Off. I, 15, quae utenda acceperis, maiore mensura, si modo possis, iubet reddere Hesiodus: quidnam beneficio provocati facere debemus? an imitari agros fertiles, qui multo plus efferunt quam acceperunt?" Locus quem Cicero respicit est *Ἔ*. 351 sqq. —

Postremo de benevolentia dicendum est, qua arctius inter homines non exstat vinculum. Quo solo devincitur illa praestantissima et coniunctissima societas, quae in amicitia perspicitur. De honorando et amando amico vide *Ἔ*. 344. 355.; de eligendo et servando *Ἔ*. 709—716: „Ne fratri aequalem facito socium; quod si feceris, ne prior ei iniurias inferas. Ne mentire temere (in gratiam eius). Si autem ille coeperit aut verbum aliquod dicere ingratum aut facere, tum duplicem exigas mulctam (*μεμνημένος ὧν εἰς σὲ διεπράξατο*, ut bene Proculus monet). Si rursus redeat ad amicitiam, et satisfacere tibi velit, recipias. Humilis vir alias alium eligit amicum; vultus animum tuum ne coarguat." (Ius talionis haud generosum!). — Primaria autem in fida amicitia virtus est veritas, *Ἔ*. 711., cui opposita sunt mendacii et garrulitatis vitia. Si modus adhibetur in loquendo, lingua apparet optimus thesaurus, gratiamque largitur. V. *Ἔ*. 720. cf. 712. 719. — Noli lingua opes furari, i. e. mendacio, dolo, periurio. *Ἔ*. 324. — Garrulitas et convicia pari modo solent referri. *Ἔ*. 723.

*) Locus *Ἔ*. 329—337. omnium sanctissimas leges continere videtur, e quibus unam nondum protulimus, qua vetitum est, ne quid mali contra pupillos et orbos perpetretur. *Ἔ*. 332.

III. De trium reliquarum virtutum primariarum apud Hesiodum indiciis.

Restat, ut reliquarum virtutum, quas philosophi statuunt primarias, indicia, quae per Hesiodi carmen cognosci posse supra diximus, breviter indagemus.

1. Σωφροσύνη.

In hoc genere ordo et constantia et moderatio et ea quae his sunt similia versantur: quippe rebus, quae tractantur, omnibus modo quodam et ordine adhibito eas conservabimus. — Primum igitur de temperantia et modestia, sedatione perturbationum animi rerumque modo dicendum est. Totum hoc genus una Hesiodi sententia continetur: *μέτρα φυλάσσεσθαι*: *Ἔ.* 696., quod est illud praeclare dictum, saepe a poetis et sapientibus repetitum: *μέτρον ἄριστον* Cleobuli, *μέτρῳ χρῶ* Pittaci, *μηδὲν ἄγαν* Pind. fragm. XI, 132. al. V. Aesch. Eum. 529. In omnibus autem, quae aguntur, aequabilitas animi est tenenda, ut appetitus rationi pareat, quo nihil est ad officia conservanda accomodatius. Sedandus et moderandus imprimis est nimiae voluptatis appetitus, castitasque servanda. V. *Ἔ.* 339. 330. 319. sqq. 195. 729 sqq. 755. 760. al.; 735. fragm. LVI. Goettl. 784 sqq. cf. *Ἔ.* 588. fragm. XXVIII. — Moderatio et temperantia in cibis potibusque custodienda. *Ἔ.* 598. fragm. LXVIII. Veteribus autem per conviviorum communionem videbatur familiaris inter homines coniunctio optime servari. Itaque epulas Hesiodus extollit, quibus nitatur sodalitatis et amicitiae arctum vinculum. Fragm. CIX. cf. *Ἔ.* 344. 724. 41. 737. — Eadem autem, quae ut appetitus rationi pareant efficit, mediocritas ad omnem cultum usumque vitae transferenda est. „*σοὶ δ' ἔργα φίλ' ἔστω μέτρια κοσμεῖν.*“ v. *Ἔ.* 308. Continet igitur haec caussa commendationem aureae quam vocant mediocritatis ad quamvis rem necessariae: *νήπιοι· οὐδὲ ἴσασιν ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντός.* *Ἔ.* 40. Cf. Theogn. 335. Phocyl. fragm. 8. Schneidew.

Deinceps de ordine rerum et opportunitate temporum

disserendum est. Omnia igitur suo loco suoque tempore facienda sunt, qua in re fere totum carmen versatur. Ex ordine bonus omnis eventus pendet. Accurate igitur Hesiodus secundum singulos dies ordinem describit, quo quidque aut suscipiendum sit aut omittendum. V. imprimis ῎Ε. 767 sqq.

Ἤματα δ' ἐκ Διόθεν πεφυλαγμένος εὖ κατὰ μοῖραν

κ. τ. λ. cf. 385 sqq. in qua legum rusticarum serie haec enuntiantur: v. 696.:

μέτρα φυλάσσεσθαι· καιρὸς δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστος,

quo utrumque genus σωφροσύνης continetur. cf. Theogn. 401. Pertinet huc etiam haec sententia:

ἔργων μεμνημένος εἶναι ὡραίων πάντων.

῎Ε. 643. cf. 687. Universi tandem ordinis in unaquaque re laus ita praedicatur: ῎Ε. 473. 474.

εὐθημοσύνη γὰρ ἀρίστη
θνητοῖς ἀνθρώποις· κακοθημοσύνη δὲ κακίστη.

Quin ordo ipse, certusque rerum status cum iis quae inde redundant bonis pro divino numine habetur. Θ. 901 sqq. Θ. 135.

2. *Ἀνδρία.*

Ea fortis animi et magni officia complectitur. Omnino autem duabus maxime in rebus animi excelsi et invicti magnitudo roburque cernitur, quarum una in rerum externarum despicientia, altera in magnis et utilibus gerendis versatur. Quarum prior ita apparet, ut, nisi quod bonum honestumque sit, nec admireris nec expetas, nullique vel homini vel animi perturbationi vel fortunae succumbas. Fortis igitur est dicendus, qui pigritiae et inertiae non cedit, sed robusto animo ad laborem se accingit. Nam vir piger destitutus est omni animi ingeniique vigore, quem Hes. ῎Ε. 306. ὀργήν vocat. Contra fortis conspicitur in laboribus suscipiendis et sedulo perficiendis, quibus opulentia paratur, quacum animus fortis coniunctus est. V. ῎Ε. 321. — „Nihil est autem tam angusti animi tamque parvi, quam nimis amare divitias“ Cic. Quas qui unice appetunt, ab Hesiodo δειλοὶ vocantur ῎Ε. 688., qua voce ii significantur, qui propter imbecillitatem animi vetito-

rum studio non possunt resistere, atque adversa tolerare. Cf. Theogn. 393.

Altera huius virtutis ea ratio est, ut animo ita sis affectus, ut res geras magnas quidem et maxime utiles, sed easdem arduas plenasque laborum et periculorum tum vitae, tum multarum rerum, quae ad vitam pertinent. Hom. Cf. Od. VII, 51. Quod in Homericos heroes militesque convenit, ut quorum summa fortitudo eximiis laudibus extollatur, id alienum est ab ethico carmine Hesiodi. Quaerenda igitur est illa indoles heroica in carminibus quae Hesiodi feruntur epicis. Uno in Operibus loco heroes, quibus bella curae fuerint et gaudio beati praedicantur. Ἔ. 160 sqq. — Sed non tantum in bellicis laboribus, sed in periculis omnibus vir fortis apparet, veluti in navigatione, quam Hesiodus ipse admodum metuit. Ἔ. 685 sqq. 652 sqq. 238. 620 sqq.

3. Σοφία.

Versatur ea in perspicientia veri sollertiaque, in qua sapientiam et prudentiam ponimus. Sapientia, in qua inest indagatio et inventio veri, quod rerum divinarum et humanarum contemplatione in universum reperitur. Iam ab Hesiodo philosophiam quandam esse acceptam et traditam testatur eius Theogonia, quae probabiles de rerum deorumque origine opiniones exhibet. Sapientiae quoque commendatio in plerisque quae exposuimus morum praeceptis conspicitur; quin immo omnis ethica disciplina pars est universae philosophiae. Neque philosophiae, quae in cognitione naturae universae, coeli, terrae, maris, siderum, ventorum versatur, vestigia apud Hesiodum desiderantur, in cuius carmine initia quaedam artis nauticae, chronologiae, notitiae orbis terrarum, aliarumque artium reperiuntur. Summa vero hominis sapientia in perscrutatione et inventione boni virtutisque constat, quae sola beatum reddat, et in pietate erga deos, qua gratia eorum paretur. V. Ἔ. 295 sqq. 828.

Superest Prudentia, φρόνησις (cf. Ἔ. 204.) quae est rerum expetendarum fugiendarumque scientia. — Proprium est gnomarum, ut quid in quaque re utilissimum vel fiat

vel vitetur praecipiant; e quibus quum Hesiodi de Operibus carmen fere totum constet, satis iam de prudentia monuisse videbor, si ad illud carmen universum iussero animum adverti. — Quapropter Hesiodo, quum nulli rei maiore cura studeret quam prudentiae, stultitia quae huic virtuti opponitur tantopere fuit invisa et vituperata. Stultissimus autem ei visus est, qui prudentiae praecepta non sequatur, sed adeo contemnat; qui non iustitia nitatur, sed iniusta vi; qui non laboret, sed ab aliis se sustentatum iri speret; qui non suam rem procuret, sed potius fora et lites amet. Eiusmodi vir stultus proponitur poëtae frater Persa, quem ille potissimum hortatur et vituperat, ad quem se vertit, quum de stultitia vitanda est sermo, quem plerumque appellat *νήπιον*. V. *Ἔ.* 399. 288. 635. al. — Afferam quasdam gnomas, quae ad hanc caussam pertinent: *νήπιος ὅς τὰ γ' ἕτοιμα λιπὼν ἀνέτοιμα διώκει.* fragm. CXVIII. — *ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.* *Ἔ.* 268. — De duabus iam dictum est: *Ἔ.* 40.; *Ἔ.* 212. — Stultitiae universae stultique animi quasi imago est Epimetheus, qui post factum, postque damnum acceptum demum sapiit. *E.*. 89. — „*παθὼν δέ τε νήπιος ἔγνω.*“ *Ἔ.* 220.

Vita.

Iosephus Bender natus sum Meschedae Guestphalorum anno huius seculi decimo quinto III. Cal. Sext., patre Iosepho Bender dum vivebat iuri in praefectura Meschedensi dicundo praeposito, quem iam dudum sors mihi abstulit mortis acerbissima, et matre Elisabetha e gente Seissenschmidt oriunda, quam carissimam veneror superstitem. Fidem confiteor catholicam. Primis quibus aetas puerilis informari solet elementis litterarum in patria urbe imbutus scholam Briloniensem adii, quod Progymnasium vocant, cuius e praeceptoribus egregiis unum V. Cl. Lefarth inter vivos adhuc colere licet. Post annos tres Gymnasio litterario quod Directore Baaden V. Cl. Arnsbergae floret traditus sum, in quo praeceptores Brueggemann, Schlueter, Fisch alii mihi exstitere, quorum gratam memoriam saepius iusto redintegrare nequeo. Inde postquam maturitatis testimonium tributum mihi est, anno MDCCCXXXVI. almam hanc Fridericiam Guilelmiam Rhenanam Universitatem petii et a Rectore Magnifico Wutzer civium academicorum numero adscriptus sum.

In Seminarium philologicum quum a Viris Ill. Heinrichio et Naekio regebatur, praematuro nobis et tristissimo fato ereptis, receptus et postea in numerum sodalium ordinariorum relatus Viros Ill. Welckerum et Ritsche-

lium in eo praeceptores habui optimos, quorum eximiae humanitatis et benevolentiae erga me memoriam gratam nulla unquam oblivio delebit.

Praeterea in hac Universitate per studiorum meorum tempus horum Illustrissimorum Doctissimorum Virorum scholas frequentavi: Heinrichii, Naekii, Welckeri, Klausenii, Ritschelii et Ritteri, cuius item viri benevolentissimi erga me familiaritatem publice praedicare iuvat. Huellmannii, Loebellii. Delbrueckii, Fichtii, Brandisii. Plueckeri, A. G. Schlegelii, Diezii, Strahlii, Lassenii.

Quibus omnibus VV. Ill. DD. pro summis in me meritis publice gratias habeo semperque habebo maximas.

THESES CONTROVERSAE

QUAS

UNA CUM DISSERTATIONE

DE

MORUM DISCIPLINAE APUD HESIODUM INITIIS

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO ORDINE PHILOSOPHORUM

IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

RITE CAPESSENDOS

DIE XV. AUGUSTI MDCCCXL, HORA LEGITIMA

PUBLICE DEFENDET

IOSEPHUS BENDER.

OPPONENTIBUS:

A. v. der BACH. Sem. Reg. Philol. Sod ord.
C. C. C. VÖLKER. Phil. Dr.

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGII.

MDCCCXL.

1. *Numinis notio homini innata est.*

2. *Hesiodus non nisi heroum statuit animorum immortalitatem.*

3. *Hesiodi ″E. v. 108. spurius est.*

4. *In Hes. ″E. v. 183. ὑποχθόνιοι legendum est.*

5. *Hes. ″E. v. 744. 745. Goettlingii explicatio non probanda est.*

6. *Hes. ″E. v. 746—748. Goettlingii coniectura et interpretatio minime placet.*

7. *In Sophoc. Ant. v. 130. ὑπερόπτας legendum est.*

8. *In Aeschyl. Pers. v. 213. 214 pro (.) ponendum est (;).*

9. *In Horat. Od. I, 2, 39. vulgata Mauri retinenda est.*

10. *Apud Tac. Hist. I, 20. ambitus significat importunum ambientium studium.*

11. *E Cic. Brut. c. 19. non sequitur, in Ennii carmine primum Punicum bellum omnino esse praetermissum.*

12. *Latini scriptores interdum sola tertia pers. singul. activ. usi fuisse videntur, ubi nos pronom. indefin. man ponimus. V. Cic. de Off. I, 33, 121., ibid. 37, 134; II, 11, 39.*

13. *Ambronum sedes ad Vistulam fuisse probabile est.*

* *Florus IV. 12, 25. scripsit: (Drusus) Bonnam et Mogontiacum pontibus iunxit classibusque firmavit, ubi vulgo legitur Gessoniam cum pontibus etc.*

* *Tacitus in Annal. I, 70 neque scripsit penetratumque ad amnem Visurgim neque penetratumque ad amnem Unsingim.*

* *Apud Ciceronem in Verr. lib. II, 49, 121 emendata interpunctione legendum est:* ***si is pretio apud istum fieret idoneus****, ut* ***vinceret factum esse semper****, non* ***si is pretio apud istum idoneos vinceret****.*

---

*) Theses asterisco notatas a F. Rittero defendendas accepi.

